tom. 28. 9

Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

MEDICINAE SECTAE EMPIRICAE VETERIS ATQVE HODIERNAE DIVERSITATE

QVAM

PRAESIDE

LAVRENTIO HEISTERO

MED. D. SER. DVC. BRVNOV. AC LVNEB. A CONSILIIS AVLICIS ET ARCHIATRO, PRAXEOS CHIRVRGIAE AC BOTANICES PROFESSORE PVBLICO ET PRIMARIO, ACAD. SCIENT. CAES. NEC NON REG. LOND. AC BEROL. COLLEGA LONGE GRAVISSIMO FACVLTATIS SVAE SENIORE ET H. T. DECANO SPECTABILI

DN. PATRONO, PRAECEPTORE AC PROMOTORE

OMNI HONORIS CVLTV AETATEM PROSEQVENDO

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS PRIVILEGIIS ATQVE IMMVNITATIBVS LEGITIME IMPETRANDIS

IN IVLAEO MAIORI

HORIS ANTE ET POMERIDIANIS CONSVETIS PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

RESPONDENS ATQVE AVCTOR

MICHAEL ANTHON. KAYSER

BEVERA-BRVNOVICENSIS

D. XXVIIII. DECEMBRIS MDCCXLI.

HELMSTADII, LITTERIS SCHNORRIANIS.



PROOEMIVM.



Inem ſtudiis academicis imponere cum conſtituiſſem, perdiu mecum deliberavi atque haeſitavi, quodnam potiſſimum argumentum ad ſpecimen inaugurale exhibendum eligerem; ne ego idem, quod alii in forma diſſertationis plus ſemel pertractarunt, inque lucem ediderunt, proferre vel dicere viderer. Indices ideo & literas publicas, eruditorum ſcripta in hunc usque diem edita, exhibentes, perlegebam, an quandam materiam inter tam immenſam Diſſertationum farraginem, in academiis ab huiusmodo ſeculi initio habitarum, quae minus frequens pertractata & ventilata occurreret, invenire poſſem, & eo thema quoddam eligendi copiam & faculta-

tem obtinerem. In perlegendis igitur dictis hisce literis occupatus, inter alias dissertationes, meis quoque sese offerebat oculis dissertatio inauguralis, ILLVSTRIS atque DOCTISSIMI DOMINI D. WERLHOFII de Medicina sectae Methodicae veteris, eiusque usu & abusu, inscripta. Cum igitur nullam aliam, de secta quadam Medicinae conscriptam alicubi legere, vel invenire memini: ideo pari modo sequens thema, de Medicina sectae empiricae veteris atque hodiernae diversitate, specimine, ut puto, inaugurali haud indignum, eligere & publico examini submittere decrevi. De ipso itaque pertractationis modo, pauca adhuc, quae hic moneam, habeo: scilicet, me illam tribus sectionibus proponere velle, & in prima quidem de secta empirica veterum, eiusque origine, progressu & dogmatibus; in secunda de empiria hodierna, vel quales sint empirici hodierni, & an nomen quoque empirici mereantur, docere; & in tertia quaestionem movere, an empiricus cum certitudine morbum quendam curare possit? cum hodie non vulgus solum, sed multi etiam eruditi, empiricum aeque bene morbum, ac Medicum rationalem, curare posse credunt: sed quo haec vesana opinio innitatur fundamento, pluribus suo loco ostendere conabor. Interim Deum Ter Optimum Maximum supplex veneror, ut conatus meos ita secundare velit, ut in sui gloriam, generisque humani salutem cedant.

DISSERTATIONIS INAVGVRALIS MEDICAE

SECTIO I.

MEDICINAM SECTAE EMPIRICAE VETERIS, EIVSQVE ORIGINEM PROGRESSVM ET DOGMATA TRADENS.

§. I.

DE Secta empirica veterum mihi praesenti in Sectione agere cum proposuerim: boni ordinis ergo melius esse reputavi, si prius qualem Medicina ortum & progressum habuerit, brevi, quantum fieri potest, ostenderem.

§. II.

Eius enim necessitatem a primis iam temporibus veteres agnovisse, & sana ratio, & illorum monumenta satis edocent. Nam per quotidianam cum discerent experientiam, sua corpora variis casibus atque adflictionibus esse exposita; variasque semper mutationes illorum contingere, pro variis nempe conditionibus assumptorum, aëris, ventorum, locorum vitaeque generis vel quieti vel laboriosi, quibus sanguis & humores in corpore plus minus exagitarentur atque immutarentur, & corpus inde debilitaretur. Ideo commoti sunt, suas cogita-

tiones in eo configere, quo media invenirent, quibus ſua corpora ſarta tectaque conſervarent, & ſanitatem adflictam redintegrarent.

§. III.

Multas itaque radices herbas aliasque res, quae occaſio vel circumſtantiae praeſentes, in hoc illove caſu ſuppeditabant, ſi alia nota & utilia ſimili caſu iam reperta media non conſtarent, vel etiam non ſtatim adeſſent, ad dolorem leniendum & malum tollendum, moleſta perceptione impediti in membris quibusdam motus, aut tormento doloris laeſam quamcunque partem exagitantis, angorisve vehementia animum opprimentis commoti, in uſum trahebant; licet qualem effectum, iuvantem an nocentem efficerent, adhuc ignorarent.

§. IV.

Si igitur adplicatum medium, per talia experimenta ſive caſum fortuitum ſalutare inventum fuerit, in caſu ſimili rurſus adhibuerunt, effectum inde perceptum annotarunt, & ſi iterum ſalutare deprehenderint, aliis quoqe ſimili adfectu vel morbo laborantibus adhibendum ſuaſerunt: & hac ratione remedia per uſum ſaepius repetitum contra hoc illudve malum ſunt inventa, & ita Medicina primum orta eſt.

§. V.

Quanquam vero haec nusquam non tentata fuit: ſiquidem imperitiſſimae etiam gentes herbas alia-

que

que prompta, teſte CELSO, in auxilium vulnerum morborumque noverunt. Verumtamen Aſſyrii, Babylonii, Chaldaei, Aegyptii & Magi cumprimis eam inveſtigando remedia, excoluerunt: ut enim HERODOTVS refert, priscis Babyloniis in uſu fuiſſe, ut languentes in forum efferrent praetereuntes conſulendi gratia, an ſimili morbo laborarint, vel ſimilem viderint? & ecquod remedium ipſis vel aliis auxilio fuerit; neque enim fas fuerit, ſilentio praeterire languentes, verum oportuerit explorare quo adfectu aeger aliquis eſſet: & PLVTARCHVS ſcribit, priscos aegrotos ſuos in publico expoſuiſſe, ut praetereuntium quivis, ſi quid, vel ipſe eodem morbo conflictatus, vel ſimiliter laboranti opitulatus, medelae noſſet, id aegrotanti ſignificaret; aiuntque artem hoc modo experientia adiuvante, creviſſe. Item STRABO, Geogr. lib. III. ſcribit, apud Luſitanos moris fuiſſe, aegrotos *vetuſto ritu Aegyptiorum* in plateis deponere, ut, qui eo morbi genere tentati ſunt, commonefacere eos valeant.

§. VI.

Medicinam vero in primis in Graecia floruiſſe, videre licet ex CELSO, ſi dicit: apud Graecos *aliquanto magis, quam in caeteris nationibus exculta eſt Medicina:* ubi primum AESCVLAPIVM Auctorem Medicinae vetuſtiſſimum, illam ſcientiam, valde adhuc *rudem & vulgarem, paulo ſubtilius excoluiſſe,* & hanc ob cauſam in Deorum numerum receptum fuiſſe, idem auctor memorat: de cuius peritia in medi-

dicina GALENVS in Introductionis praefatione ita loquitur: sed *haec experientia* (scil. Chironis Centauri, Aristaei, Melampodis & Polyidi, Aesculapio superiorum) *ratione vacua, nondum rationalis fuit.* Caeterum perfectam Medicinam & omnibus numeris absolutam, nimirum divinam aio, AESCVLAPIVS solus invenit. Huius deinde duos filios *Podalirium* & *Machaonem* bello Troiano ducem AGAMEMNONEM secutos, non mediocrem opem suis commilitonibus attulisse, narrat CELSVS. Quos tamen HOMERVS non in pestilentia, neque in variis generibus morborum aliquid attulisse auxilii, sed vulneribus tantummodo ferro & medicamentis mederi solitos esse, proposuit. Ex quo confici scribit CELSVS, has *partes Medicinae solas ab his esse tentatas* easque esse vetustissimas.

§. VII.

Aesculapio igitur mortuo, non Graeci solum sed aliae etiam gentes ob famam & honores, uti credebant divinos, multa templa illi, filiis & illius nepotibus, ad Aegyptiorum imitationem, construxerunt; quorum in Graecia eiusque colonis satis magnus ut PAVSANIAS & ex illo Doctiss. SCHVLTZIVS exhibet, a) fuit numerus. Ad religionem vero in hisce templis perficiendam, constituebantur *sacerdotes, quorum praecipuum officium erat medicam artem excolere,* eamque filios suos aut alios collegio adscribendos,

a) in Historia Medicinae p. 118.

dos, docere, deoque se praebere in templo suo, a) per somnum de recuperandae valetudinis remedio erudiendos: Ideo Pausanias illos vocat δόυλους τοῦ Θεοῦ, & fert illos *fuisse personas honoratas*, medicinae scientiae imbutas, & quos ab ipso AESCVLAPIO genus ducere, gloriasse: quare etiam se ASCLEPIADAS appellabant. *Hi ergo Medicinam in templis per sat longum tempus* & minimum *per quingentos annos* possessione satis quieta exercuerunt, quo toto intervallo, *Medicum, qui suo nomine artem exercuerit, haud facile apud Graecos invenias.* Atque hoc forte, ut Celeb. SCHVLZIVS putat, induxit, *Isiodorum* Hispalensem (Origin. IV. Cap. 3.) ut scriberet: *Postquam fulminis ictu* Aesculapius *interiit*, interdicta fertur medendi cura & ars simul cum Auctore defecit, latuitque per annos fere quingentos, usque ad tempus Artaxerxis Persarum regis: tunc ad lucem eam revocavit HIPPOCRATES, Asclepio patre genitus in insula Covalida & Aesculapio dicata.

§. VIII.

Ad haecce templa quotidie aegrotantes, variis morbis adflicti, auxilium a Numine quaerentes cum confluerent & hoc illudve remedium, quod sacerdotes *ab experientia* cognitum, vel ut dicebant, *a Numine* per insomnium revelatum suaserant, applicarent; tum, salutaris inde si contingebat effectus, mos & ritus postulabat, quid iuvisset in morbo, literis consignatum in templo relinquere. Itaque

a) vid. SCHVLTZII Hist. Med. Period. I. Sect. II. Cap. IV.

que templi columnis & parietibus ditiores; tenuioris vero fortunae homines, longioris recordationis gratia, tabulae cuidam inscribenda curabant. Sed non solum in Aesculapii templo hoc gratum animum testandi modo utebantur, verum etiam in aliis pluribus hoc faciebant, quicunque se Dei cuiusdam praesentanea ope servatos, magnoque periculo ereptos credebant. Et huius generis tabularum saepius apud veteres invenimus mentionem: nam STRABO a) de Epidauro hoc modo scribit: *haec urbs non parum insignis, praesertim ex Aesculapii claritate nobilitata, quem varia morborum genera curasse*, somniassent homines. Erat vero templum aegrotantium multitudine usque quaque rerefertum, *pendentibusque tabellis, in quibus sanati languores erant inscripti;* quemadmodum & in Insula Co fiebat, pariter & Trica. Et PAVSANIAS b) scribit: *surgit Aesculapii templum, Cyros appellatur Multa hic monstrantur morborum remedia.* HIERONYMVS MERCVRIALIS c) multa talium tabularum exempla legenda exhibet.

§. IX.

Inter ea igitur cum Medicinam exercerent Asclepiadae, *factum est, ut Philosophi,* qui rerum caussas indagare, harumque rationes profiteri conabantur, *se quoque immiscerent Medicinae*, atque rerum naturalium, morborum & curationum caussas investigare molirentur. Quanquam vero hoc iniquo ferebant

a) Geogr. lib. 8. b) In Achaicis Cap. CXXXV.
c) lib. I. Cap. I. de Arte gymnastica.

bant animo Medici, tamen, quo minus hoc fieret, impedire non valebant. Qua vero re, & quo iure hoc facere illi ſibi ſumſerint, illius, ut mihi videtur, *rationem*, nec minus *nervoſe atque eleganter dedit* PLVTARCHVS a), cuius verba utique digna eſſe cenſeo, hic ut adponantur: *Philoſophico nimirum es ingenio*, (hoc modo ZEVXIPPVS adloquitur MOSCHIONEM) & *ſuccenſes Philoſopho, qui ſtudioſus rei Medicae*: indigneque fers, ſi exiſtimet, magis ſui eſſe officii, *ut videatur Geometriae Dialecticae & Muſicae deditus*, quam ut inquirere ac diſcere cupiat, *in ſuo corpore*, hoc eſt:

Aedibus in propriis quid recte, quid male fiat.

Atqui plures ad ſpectaculum confluere ſolent, ubi publicitus pecuniae aliquid inter ſpectatores diſtribuitur, ſicut fit Athenis. Et vero *Medicina* de reliquis artibus, *nulli nitore*, *copia*, *iucunditateque cedens*, ſui Studioſis praemium ſpectandi porro largitur incolumitatem corporis atque ſanitatem. Non itaque intentandum id crimen Philoſophis, de ſanitate diſputantibus eſt, quaſi vero limites tranſilierint. Imo id potius vitio eſſet dandum, ſi non, ſublatis omnino terminis, locum hunc ſibi communem cum Medicis ducerent, in eoque ſuavitatem cum neceſſitate iunctam egregio ſtudio conſectarentur. Ex quibus verbis videre quoque poſſimus, quo honoris loco eo iam tempore Medicina ſit habita.

a) in Dialogo. Edit. Baſil. p. 305.

§. X.

Haud exiguum vero Medicinam cepisse incrementum, non ex Medicorum solum constitutione, in Aegypto praesertim facta, sed *etiam ex Philosophorum* industria, rerum naturalium, morborum atque curationum causas investigandi, de hoc illi, qui statum, quo eo tempore Medicina fuit, perpendunt, dubitare haud possunt. Nam *plurimi tum temporis Medicorum, inprimis apud Aegyptios, uni tantum corporis humani*, uti referunt Auctores, *parti, mederi incumbebant.* Et nemo universum corpus propter difficultatem operis, dum Medicina nondum erat in artis formam redacta, ad curandum, suscipiebat. HERODOTVS itaque sequentia adducit: Medicina apud eos, sc. Aegyptios, hunc in modum distributa est, *ut singulorum morborum singuli sint Medici & non plurium.* Itaque omnia sunt referta Medicis: alii enim sunt *ocularii*, curandis oculis constituti, alii *capiti*, alii *dentibus*, alii *alvi partibus*, alii *morbis occultis*.

§. XI.

Philosophis autem scientiae medicae originem aperte tribuit Corn. CELSVS a) quando scribit: post eos (sc. Aesculapium, Podalarium, & Machaonem) nulli clari viri Medicinam exercuerunt: donec maiore studio litterarum disciplina agitari coepit, quae ut animo praecipue omnium necessaria, sic corpori inimica est. *Primoque medendi scientia sapientiae pars ha-*

a) in praefatione Lib. I.

habebatur, ut & morborum curatio, & rerum naturae contemplatio sub iisdem auctoribus nata sit: Scilicet his hanc maxime requirentibus, qui corporum suorum robora, inquieta cogitatione, nocturnaque vigilia minuerant. Hoc est certissimum, Philosophos, cum se rei medicae dederunt, & sanitatis, morborum, vitae, mortisque causas scrutari, & de his non frequentius solum inter homines disserere, sed meditationes etiam suas scriptis libris propagare inciperent, maximum attulisse Medicinae incrementum. Fieri enim non potuit, quin Asclepiadae & Medici, iniquo animo hoc ferentes, alios, de gente Asclepiadum haud oriundos, se conari, medicinam ipsis e manibus extorquere, maiori ardore illam excolere studuerint: imo inter ipsos diversorum templorum sacerdotes aemulum excitarunt ardorem. GALENVS enim ita scribit. a) Illi, sc. sacerdotes in Insula Co & Cnido, perpetuo inter se certabant de Apollinis Aesculapiique arte, tum exercenda, tum semper augenda ac pro viribus perficienda; atque olim non parva lis erat eorum, qui in Coo & Cnidio habitabant, utri videlicet inventorum remediorum multitudine reliquos superarent.

§. XII.

HIPPOCRATES Cous autem vir & arte & facundia insignis, primus fuit, referente CELSO b) qui ex omnibus memoria dignis, a studio sapientiae disciplinam hanc, sc. Medicinam, separavit, non ut dis-

a) Meth. med. Lib. I. b) in citata praef.

iungeret, & philoſophiam excluderet, ſed ut ſeorſim eam colendo incrementa artis promoveret. Praeterea quoque cum animadverteret, medicinam quidem per Philoſophos ex Aſclepiadarum ſervitute eſſet liberata; multis e contrario ſophiſticis diſputationibus atque rebus fictis eſſet referta: ideo nihil ex Philoſophia ad Medicinam a priori diſcendum adferri voluit; ſed contendit, naturae cognitionem ſive philoſophiam naturalem, Medico utilem, addiſci debere, ex effectibus ſingulorum, extra nos poſitorum, quae vel intra corpus aſſumuntur, vel exterius corpus adficiunt, obſervandis. Prae reliquis vero, ſtudium phyſicum Medico ſumme neceſſarium valde commendat: itaque dicit, a) Ιητρὸς φιλόσοφος ἰσόθεος: & b) alibi πειρῶτι φύσικος εἶναι: Sed hoc nihil aliud intellexit, quam ut Medicus ſtudere debeat, acquirere collectionem obſervationum, per experientiam cognitarum, de effectibus rerum extra nos poſitarum, corpus noſtrum, ſi vel intro ſumta ſunt, vel quocunque modo nos adfecerunt, iuvandi vel laedendi viribus inſtructarum. Primus quoque fuit, qui monumenta morborum atque curationum in Inſulis Co & Cnido praeſertim, in templis reperiunda, conſcripſit, & additis ſuis obſervationibus, e propria praxi enatis, in artis formam redegit, atque ita primum medendi praecepta, longe poſt hominum memoriam condidit, ideo quoque merito vocatur antiquiſſimus & optimus Medicinae parens atque ſcriptor. Nam plurimos eius temporibus fuiſſe Medicos, aut ſaltem ſe Me-

a) Lib. de decenti ornatu. b) Lib. de ſterilitate.

Medicos eſſe, profeſſos, ipſemet ſcribit, a) quando, *Medicos fama & nomine quidem multos*, re autem & opere *valde paucos dari*, conqueritur.

§. XIII.

Poſt HIPPOCRATEM autem Dioclem *Cariſtium*, deinde *Praxagoram* & *Chryſippum*, tum *Herophilum* & *Eraſiſtratum*, ſic artem hanc exercuiſſe, ut in diverſas curandi vias proceſſerint, memorat CELSVS; & ſtatim addit: iisdem temporibus *in tres partes diducta eſt* Medicina: *ut una eſſet quae victu*: altera *quae Medicamentis*: tertia *quae manu mederetur*. Primam διαιτητικὴν; ſecundam φαρμακευτικὴν; tertiam χειρουργικὴν Graeci nominaverunt. Hiſce autem verbis CELSO in animum non veniſſe, ut dicere vellet, totum Medicinae corpus in tres quaſi disiunctas partes diſſectum fuiſſe, ſed unamquamque potius illarum magis quam antea eſſe excultam atque amplificatam, & verbo, quicquid ad perfectionem partium ſuarum requiri poterat, brevi eſſe conſecutam, hoc perſpicue exponit Celeb. SCHVLTZIVS. b)

§. XIV.

Quanquam vero ante memorati Auctores omnem, uti conſtat, adhibuerunt diligentiam, cauſas & rationes inveſtigandi, quare remedia per uſum & experimenta usque huc inventa, hunc vel illum in corpore producerent effectum, iuvantem vel nocen-

cen-

a) in Lib. de lege. b) in Hiſtoria Medic. p. 419.

centem, prout aegrotorum circumſtantiae & morborum cauſae erant diverſae & variae, in quas diligentiſſime inquirerent philoſopho - medici: attamen non defuerunt alii, *qui omnem rurſus abiicerent atque reſpuerent rationem*, dum animadverterent, non multos ſolum, quid hoc illove caſu ſentirent, ſecum adhuc eſſe incertos, ſed pauciſſimos etiam Medicos, rationales ſe profeſſos, de cauſis & rationibus, cum morborum, tum remediorum, inter ſe convenire; nihilo tamen minus morbos quemvis curare: hanc igitur ob rem commoti, *experimentorum notitiam & uſum iam ſufficere medico*, ad morbos curandos, contendebant. Et hac ex cauſa hi ſe appellabant ἐμπειρικοὺς experientiam ſolam ſectantes, non vero a quodam ſectae ſuae Auctore vel Antiſtite. Erant autem Sectae empiricae addicti, homines, qui in morbis curandis, eadem rurſus applicabant remedia, quae in morbis ſimilibus per uſum & experientiam ſolummodo poſt habita ratione proficua didicerant. Occaſionem vero dictis empiricis, diverſam conficiendam ſectam, dederunt reliquorum medicorum diſſenſiones atque contentiones, de abditis morborum cauſis, actionibus naturalibus & remediorum rationibus, quare nempe nonnunquam prodeſſent, nonnunquam nocerent, & non ubique locorum, unum eundemque praeſtarent effectum.

§. XV.

Quod ad *primum huius ſectae nunc conditorem attinet*, non unam eandemque fovent Auctores ſententiam

tiam. Nam GALENVS a) ita refert: Sectae Empiricae praefuit PHILINVS Cous, qui *primus Medicinam a rationali abſcidit*, occaſione ab Herophilo, ſuo praeceptore accepta. ACRONEM vero Agrigentinum *Empiricam primum Sectam condidiſſe* PLINIVS b) perhibet; Sed qua de cauſa hoc fecerit, ſequentibus GALENVS c) memorat verbis: Cum autem *ſuam haereſin principem eſſe vellent*, ACRONEM Agrigentinum *quo rationali eſſet vetuſtior*, ei dediſſe initium, dixerunt. Nihilo tamen minus GALENVS alio loco d) eum, primum Empiricae diſciplinae ſcriptorem appellat. CELSVS e contrario, qui his antiquior, ita narrat: Serapion primus omnium nihil hanc rationalem diſciplinam pertinere ad medicinam profeſſus, *in uſu & experimentis eam* poſuit. Cui igitur dictorum Auctorum maior ſit habenda fides, ſcriptorum quoque iudicia, rerum medicarum hiſtoriam proponentium, ſunt diverſa: quidam enim cum PLINIO, ACRONEM Agrigentinum; alii PHILINVM Coum, ſecundum GALENI ſententiam; & SERAPIONEM cum CELSO rurſus alii fuiſſe Sectae Empiricae parentem, credunt. Quoniam vero cuiusque ſententia ſuis gaudet rationibus & veri ſimilitudine; unius autem vera tantum eſſe poteſt: ergo meum ſuspenſurus deciſum, aliis libens hoc diiudicandum relinquo, dum mihi perinde eſt, quem quisque *primum huius Sectae conditorem* fuiſſe credat,

C dum

a) in Introduct. cap. III. b) Hiſtor. Nat. lib. XXIX. cap. I.
c) loc. cit. d) in Lib. de Subfigurat. Empir. cap. I.

dum neque damni neque utilitatis aliquid in artem medicam, si quid ego videre valeam, inde potest redundare.

§. XVI.

Caussam vero, quae huius Sectae Auctorem, quis quis etiam ille trium dictorum fuerit, moverit, in singularem illam, & dogmaticis vel rationali disciplinae adversam, ut abiret sententiam, a nullo auctore certe relatam inveni. GALENVS quidem refert, PHILINVM Coum, occasionem a rationali disciplina faciendi separationem, ab HEROPHILO suo praeceptore accepisse; sed quae illa proprie fuerit, alto supprimit silentio. *Fundamentum autem huius Sectae unicum fuit: Experientia, Ἐμπειρία graecae dicta:* nam hanc Medico a) iam sufficere, dum medicam artem non ab *indicatione*, uti dogmaticis placebat, sed ab *Experientia* b) *tantum* esse constitutam, certo certius sibi persuadebant. Et repertis medicinae remediis homines demum coepisse de illorum rationibus differere c), dicebant, nec post rationem Medicinam esse inventam; sed *post inventam medicinam, rationem esse quaesitam*: & ne agricolam quidem, aut gubernatorem disputatione, sed usu fieri: ergo Medicum multo minus disputatione vel caussarum latentium indagatione aut eloquentia, Medicum evadere vel morbum curare posse, concludebant, *nisi experimentorum notitia atque experientia illum fecerit Medicum.*

§. XVII.

a) GALENVS de Sectis Cap. I. b) Idem de Subfig. Empir. cap. II. c) CELSVS in Praef. lib. I.

§. XVII.

Experientiam autem vocabant cognitionem, αὐτοψία a) acquiſitam: Αὐτοψία vero eorum memoriam eſſe dicebant, quae ſaepe numero & eodem modo viſa fuerint. Hanc autem rurſus eſſe vel *fortuitam* vel *conſulto* factam, pronuntiabant; fortuitam, ſine humano conſilio, vel caſu, vel natura evenire: caſu; ſi quis occipitis dolore adfectus, invitus terrae caput impingeret, atque, vena frontis vulnerata, portioneque ſanguinis effuſa, eo a dolore liberaretur: natura autem, ſi febre laborans, dum ſanguinem per nares ſtillaret, a febre immunis evaderet. Conſultam denique ab intuitu eſſe cognitionem, quando aliquis, aut inſomniis ſuadentibus b) aut aliunde arbitrio ductus, volens ad experimentum veniret. v. gr. ſi quis in febre perdite ſitiens, ad bibendam aquam vel mala granata edenda coactus febrem amittat; aut ſi quis in monte a ſerpente morſus obviam herbam vulneri adhibuerit, ſanitatemque inde recuperaverit. Tertium vero experientiam acquirendi modum ponebant illi in imitatione: c) ubi aliquiſpiam id, quod ſemel atque iterum, aut etiam ſaepe effectum conſpexerit, in caſibus imitaretur ſimilibus, eundemque in iisdem notaret effectum.

§. XVIII.

Hocce igitur modo, *ad experientiam perveniebant* τριβικὴν, d) *quam, ab experimentali diſciplina ortam,*

a) GALENVS de Subfig. cap. II.   b) idem de Sectis cap. I.
c) idem de Subfig. cap. II.   d) idem de Subfig. cap. II.

tam, soli artifices usu exercebant. Experimentalem vero disciplinam explicabant, per habitum eorum, quae ita frequenter apparuerunt, ut iam inde theoremata sint constructa, atque ita perceperint, *num illa semper, aut plerumque, aut utrovis modo, aut raro evenire soleant.* Theorema vero dicebant, habitum rei, quam saepe viderint cum eventus oppositi distinctione: v. gr. id quod semper eodem modo contingit, oppositum eius nunquam accidere, & quod plerumque contingit, eius contrarium aliquando quidem, sed raro evenire: eius autem, quod utrovis modo fit, aequalem esse oppositi eventum: sicut illius, quod raro accidit, contrarium frequenter apparere. Et sic ex adductis patere existimo, *Empiricos veteres, sive Sectae Empiricae vere addictos in arte salutari non fuisse rudes, sed exercitatissimos.*

§. XIX.

Ad habitum autem hunc experimentalem consequendum, commendabant, praeter observationes proprias, per αὐτοψίαν & imitationem comparatas, *lectionem historiarum sive observationum, ab aliis fideliter consignatarum;* quae ordine referant, quales morbi fuerint, quid in iis acciderit, & quid hoc vel illud remedium effecerit; & denique *Epilogismum,* τὸν ὁμοίου μετάβασιν, *transitum ad simile,* a) *vel substitutionem rei similis:* cum ab uno morbo iam cognito ad alium incognitum; a remedio in morbo quodam ex-

a) GALENVS de Subfig. empir. cap. X.

experto, ad aliud, fimilitudinem quandam cum illo referens, quid hic fit faciendum, vel applicandum, concludebant. Atque tres hasce partes, fcil. Αὐτοψίαν, Hiftoriam, & Epilogismum, five tranfitum ad fimile; vel ut alii dicebant: Senfus, Memoriam, & Epilogismum, *tres medicinae columnas* appellabant; quas Glaucias inde denominavit τὴν τρίποδα τῆς Ἰητρικῆς.

§. XX.

Quod vero ad Sectae Empiricae dogmata profitentium fpecialiorem methodum attinet medendi, illi inprimis in morbis curandis, *quaenam fint eorum caufae evidentes atque manifeftae,* celeri circumfpiciebant mente: num fcilicet *morbum fatigatio an fitis, an frigus, an calor, an vigilia, an fames fecerit, an cibi vinique abundantia, an intemperantia libidinis.* Porro diligentiffime, CELSO referente, inquirebant, *quae fit aegri natura: humidum magis, an magis ficcum corpus eius fit: validi nervi an infirmi: frequens adverfa valetudo, an rara, eaque, cum eft, vehemens effe foleat, an levis, brevis an longa: quod is vitae genus fit fecutus, laboriofum an quietum, cum luxu an cum frugalitate:* Ex his enim fimilibusque, faepe *novam curandi rationem effe ducendam,* probe agnofcebant. Et fic omnes probe circumftantias, atque omnem fymptomatum complexum, συνδρομὴν, dictum in medendo confiderabant. Non enim quodque fymptoma b) five fimplex aliquod incommodum, morbum appellabant, fed *talem tantum eorum concurfum, quae*

a) in faepius citata Praefat. b) GALENVS de Subfig. Empir. cap. V.

ex longa obſervatione ita ſimul convenire, comperta ſunt, ut pariter incipiant, augeantur, vigeant, declinent, & recedant; et talem ſymptomatum concurſum compendii gratia, uno tantum morbi nomine, originem a parte adfecta, vel ſimilitudine, vel ſymptomate aliquo, ducente, appellabant. Ex his itaque Empiricos non illotis, uti aiunt, manibus & imprudenter medicam attigiſſe artem, iuxta ac noſtrates impoſtores, circumforanei, vel verbo, pſeudomedici, utplurimum quoque Empirici, aſt minus recte, dicti, temere & nullo conſilio, eam exercent, uti mox pluribus hoc oſtendam, quivis facile perſpicere poteſt.

§. XXI.

Cauſas e contrario abditas & latentes cum ſanitatis, tum morborum, ratione tantum & coniectura inveſtigandas, tanquam dubias & incertas, negligebant. Nam obſcurārum *cauſarum & actionum naturalium quaeſtionem ideo ſupervacuam eſſe dicebant*, quia natura incomprehenſibilis ſit; non poſſe vero comprehendi, ſatis patere ex eorum, qui de his diſputarunt, diſcordia: cum de iſta re neque inter ipſos ſapientiae profeſſores, neque inter ipſos medicos conveniret. Diſcordiam vero inter aliquos obortam, rei alicuius incomprehenſibilis eſſe indicium, affirmabant: ideo inde eſſe manifeſtum, quicquid veri Medici rationales a priori, uti dicunt, ſive per ratiocinia de actionum naturalium (quibus ſimul vitales & animales intelligebant) & morborum cauſis obſcuris & latentibus

elicere

elicere essent conati, *meras esse coniecturas, quae minime vero ad morborum curationem pertinerent; quia non intersit, quid morbum faciat, sed quid tollat, & inter initia medicinam, non ab istis esse deductam quaestionibus, sed ab experimentis.* a)

XXII.

Praeter ea quoque, *inter partes, arti Medicae haud necessarias, numerabant,* Anatomes *culturam* pariter atque scientiam. Imprimis vero illos detestabantur, qui HEROPHILI & ERASISTRATI more, *homines vivos inciderent*; dum, nimis esse crudele & in humanum, salutis humanae praesidem artem, non solum pestem alicui, sed hanc etiam atrocissimam inferre, putabant: quum praesertim ex his, quae tanta violentia quaererentur, alia in naturali, quo vivo essent homine, statu, non possent omnino cognosci: alia etiam possent sine scelere. Nam, dum ipsa corporis vivi incisione, intestinorum situs & ordo mutaretur, &, diaphragmate discisso, vita statim periret, suo exciderent fine, necesse esset. Partium enim externarum conditionem, omniaque non esse talia, inciso corpore, qualia integro fuerint: ita multo magis interiora, quibus maior mollities, sub gravissimis vulneribus, & ipsa trucidatione, mutari. *Neque quicquam esse stultius, quam quale quid vivo homine esset, tale existimare esse moriente,* imo iam mortuo. Quicquid autem spirante homine considerari posse, id saepe casum offerre curantibus: interdum

a) CELSVS in praefat. lib. I.

dum enim gladiatorem in arena, vel militem in acie, vel viatorem a latronibus vulnerari, ut eius interior aliqua pars, & in alio alia aperiatur; atque ita ſedem, poſitum, ordinem, figuram, ſimiliaque cognoſcere prudentem Medicum, non caedem ſed ſanitatem molientem, idque per miſericordiam *diſcere*, quod *alii dira crudelitate cognoverint*. Et ob haec *ne mortuorum quidem lacerationem neceſſariam eſſe:* quae, etſi non crudelis, tamen, *foeda ſit*, & nullum prorſus adferat arti medicae fructum; uti hoc noſtris quoque temporibus quidam Medici, doctiores alias viſi, audacter, ſed peſſime ſentiunt.

XXIII.

Veteres denique illi Empirici fuerunt viri cordati, probi, a) *periti,* & in Medicina facienda longe *clariſſimi*, atque, ut GALENVS b) loqui amat, minime ſuperbi, aut ambitioſi, neque gloriae inhiantes, non compoſite ambulantes, neque fucatis geſtibus, ſed interius exteriusque toti integri; primi artis medicae patres & anteceſſores, quippe qui primum Medicinae poſuerunt fundamentum, & a quibus artem medicam, quaſi relictam haereditatem, poſſidemus uberrimam. *Nam non adeo rudes erant, ut hodie vulgo,* ſed minus recte, dicti *Empirici;* dum ſua defendere ſciebant dogmata, & cauſam quoque quare cum rationalibus non unam eandemque fovere poſſent ſententiam, in medium afferebant. *Principes enim*

a) SHVLTZII Hiſt. Med. pag. 413. §. XXIII. b) in Subfigur, Empir. Cap. XIII.

enim huius sectae, ut PHILINVS COVS, SERAPION, ACRON AGRIGENTINVS, APOLLONIVS, GLAVCIAS, HERACLIDES TARENTINVS, qui omnium fuit doctissimus, totos de re medica scripserunt libros, qui omnes vero temporum iniuria perierunt. *In hoc autem peccarunt, quod causas & sanitatis & morborum & medicamentorum abditas;* item *anatomes culturam* aeque ac scientiam neglexerint: haec omnia, dicentes, esse incerta, nilque facere ad morborum curationem, uti pluribus iam ante est dictum. Et haec de veterum secta empiricorum hac vice dixisse sufficiant.

SECTIO HVIVS DISSERTATIONIS INAVGVRALIS II.

QVAE EXHIBET QVALES SINT HODIERNI EMPIRICI, ET AN NOMEN QVOQVE EMPIRICI MEREANTVR.

§. I.

Prima sectione absoluta, nunc in hac quoque *hodiernorum ita dictorum Empiricorum conditionem* breviter exponam. *Sunt autem hodierni ita dicti Empirici* homunciones, qui Medicamenta aegrotis exhibent sine *sufficienti* cognitione & morborum & medicamentorum. Hi autem, *in duas commode dividi posse classes* mihi videntur, & quidem *in rudes & semidoctos:* qui per aliquod tempus quidem in Academiis, omnium bonarum artium emporiis, commorati sunt, sed cum solida artis salutaris fundamenta,

ex ore atque praelectionibus Doctissimorum, & longa artis peritia Excellentium Doctorum atque Praeceptorum haurire, & ea, uti dicunt, in succum & sanguinem vertere debuissent, omne fere tempus potius aliis inutilibus, aut parum tamen, vel nihil ad rem medicam facientibus rebus, nugis ne dicam, atque omnis generis deliciis, corporis animaeque integritati maxime perniciosis terere studuerunt; nec domi diligenti optimorum librorum, & theoriam & eius adplicationem sive praxin dictam exponentium, lectioni vacarunt; cuius ope nonnunquam solertioris ingenii quidam, si necessariis eruditionis instrumentis non sunt destituti, bonam sibi acquirere valent scientiam; vel alii quoque, cum a puero humaniores non imbiberunt quasi disciplinas, aut vix discere coeptas intermiserunt, animumque per aliquot iam annos ad aliud adplicarunt vitae genus, demum vero aliud, ob elatum animum, capientes consilium, collegium practicum, in Academia quadam, a celeberrimo viro praelectum, per semestre, aut si multum diligentiae adhibere volunt, totum fere annum, omnibus fundamentis, ad hoc intelligendum supponendis, destituti audire decernunt, & hoc absoluto ad lares aut locum alium, alii in mente iam Aesculapii, abeunt; tum aegrotantes ibi, aut saltem ipsorum auxilium implorantium plurimi, ea gaudebunt felicitate, ut per illorum curam atque operam prorsus singularem omnibus, quibus cum colluctarunt, aerumnis ac molestiis, simul & semel eripiantur.

§. II.

§. II.

Empirici rudes vero ſunt medicaſtri illi imperiti, quos vulgus ſaepe pro Medicis habet, qui vero nullo uſi unquam ſunt praeceptore, neque ullo gaudentes fundamento, vel in Anatomia vel Inſtitutionibus medicis, ſed ſuo tantum confidentes theſauro, qui in magnis arcanis vel confuſa potius formularum & medicamentorum farragine atque notitia, usque quaque ſibi acquiſita, conſiſtit, artem exercent. Hos ideo HIPPOCRATES in Libro de lege, *perſonatis tragoediarum hiſtrionibus eſſe ſimillimos* recte aſſeruit. Nam ut illi habitu, geſtibus veſtituque perſonam Regis aut Heroum referunt, quos tamen non eſſe conſtat; ſic illi Medicaſtri & perſonati Medici veſtibus holoſericis, auro argentove fulgentibus, nec non annulis, reliquoque ornatu ſuperbo atque modum excedente, falſa ac ficta artis oſtentatione apud ignobile vulgus, indoctosque proceres titulum Medici, imo Doctoris, ſumma cum impudentia ſibi vendicant: quam ſi, illis exutis ademeris, ſub illorum perſona, aut iudaeum perfidum, aut monachum apoſtatam, tonſorem, textorem, ſutorem, bubulcum, carnificem, vel alium omnium bonarum artium ignarum impoſtorem, atque id genus nebulonum, ut aſinum ſub pelle leonis apud Cumanos, latere deprehendes: qui nihil non audent, quo ab adflictis aegris per fas & nefas pecuniam, (nam hoc eſt omnium hiſtrionum et falſorum medicorum finis primarius) emungant. Et hi ſacro-

ſanctam, ut IOH. LANGIVS a) dicit, Medicinam ſummi Dei donum, *temerariis ex urina de morbis vaticiniis*, atque aliis nefariis ſuperſtitionum nugis, conſpurcare non dubitant.

§. III.

Duplicis autem claſſis hos rurſus eſſe Medicaſtros cum Cl. BOHNIO b) obſervamus, ſcil. vel in publicum & ſcenam prodeuntes, & per compita, vicos, oppida, provincias atque regna vagantes, ſuas artes & pharmaca magnifacientes, verbisque ſesquipedalibus extollentes, quos ideo erroneos *circumferaneos, hiſtriones* & *circulatores* appellant; vel alios, qui ſedem fixam in loco quodam vel in urbe vel in pago aut vico, habent, aut ſaltem per aliquot annos usque triſtia per multorum mortes facta experimenta, indeque amiſſa ſuae peritiae, antea multum iactatae fides, illos alium petere locum, cogunt: interim tamen illis peritiores & honeſti magis videri volunt, licet unius eiusdemque ſunt farinae, & itidem ac illi temerario auſu artem exercent, quam tamen non callent, vel didicerunt, nec ullum eius fundamentorum ſpecimen, aut teſtimonium fide dignum exhibuerunt, nec iuramento Medicinae faciendae ſe addixerunt: quae cuncta tamen unusquisque Medicus legitime promotus praeſtare tenetur. Et hi Medicaſtri per medicamenta inexperta, non

a) in Epiſt. Medic. Lib. 1. Epiſt. 1. dupl. p. m. 33.

b) in Lib. de Offic. Medic.

non decumbentium loculos ſolum exhauriunt, quos tamen, ſi modo ſanitatem per illa recuperarent, replere iam valerent, ſed etiam, proh dolor! ſaepius aegrotos vita, re omnium cariſſima, dulciſſima, vel ſaltem ſanitate, qua nihil praeſtantius in toto terrarum orbe excogitari poteſt, ſpoliant. Ideo quoque ob temeritatem empiricam Cl. BOHNIVS a) illos carnificibus, qui ſuam quoque artem ſola pariter experientia addiſcunt, comparat, dum cum FREITAGIO in noct. medic. ita dicit: *habent etiam hoc cum carnifice poteſtatis commune Medicaſtri, homines ſc. accepta mercede occidere, atque ex homicidio, unde ſupplicium leges cunctis ſtatuunt, praemium capere. Hoc ſaltem intereſt, quod carnifex non niſi ex judicum ſententia interimat facinoroſos; iſti vero rudes veteratores, ſub praetextu & perſona Medici, praeter omne iudicium perimant etiam inſontes*: ex quo patet, Empiricos hodiernos *ipſis adhuc carnificibus eſſe deteriores;* illi inde a legibus publicis quoque declarantur *infames*, Vid. L. III. Tit. II. ff. de illis, qui notantur infamia; et Stryck. U. M. ff. L. III. T. II. §. VII. omnibus autem Medicaſtris, ne ſalutarem, quam non didicerunt, artem, temerario exerceant auſu, leges item prohibent publicae L. I. Tit. XVIII. ff. de Offic. Praeſid. §. 6. illicitas 7. ſicuti &c. & Caroli V. Conſtit. Crimin. Artic. CXXXIV.

§. IV.

Hoc autem Medicaſtrorum genus, *& generi hu-*

a) in Lib. ante citato p. 36.

mano & reipublicae maxime peſtiferum: cum ſine ullo artis fundamento, ſine omni anatomes ac morborum cognitione, ſine omni cauſarum, ne occaſionalium quidem, aetatis, ſexus, temperamenti, aliarumque circumſtantiarum, conſideratione, ſine omni medicamentorum virium rationali cognitione, eorumque legitimo uſu, & ita, temerario, ſceleſto, imo nefando modo, morbos quosvis curare audet, certas neceſſario fraudes atque impia artificia, ut alii ſe eſſe Medicos, credant, adhibere debet; quae igitur haec ſint, breviter ſi recenſeo, operae me facturum eſſe pretium, exiſtimo. Quadruplici vero hoc inprimis efficiunt modo: primo per *veſtimenta ſplendida* & haud raro auro vel argento onuſta, dum ſuam ſatis hisce obtegi ignorantiam credunt: ſed hic illud optime, uti mihi videtur, quadrat tritum adagium: *ſimia eſt ſimia, etſi aurea geſtet inſignia.* Interim ſpes coepta illos non fallit, nam ſtupidum aut ignavum vulgus ab exteriori habitu diiudicare ſaepe ſolet Medicum; & ſi multis modo eiusmodi impoſtor gaudet veſtibus, quarum alia aliam pretio ſuperat, eisque indutus, ſaepius totam pervolat urbem vel vicum, tum vulgus inepte credulum hoc animadvertens, illum ſtatim habet pro Medico, & quidem aliis genuinis Medicis, tali arroganti ſupercilio & faſtu haud incedentibus, ſed honeſtati atque integritati potius deditis, multo doctiore, feliciore, praeſtantiore, maiorique arcanorum copia, uti ſibi imaginantur, gaudente. Et quid? cum illud alios, in ipſius ſententiam abire nolentes, in ſole coecutire meridiano, & mente

tan-

tantum non eſſe captos credit? viſu enim & cognitu haud ſit difficile, Medicum, etſi rationalis ſit, illo multo minorem artis peritiam, ac *pauca vel nulla fere poſſidere arcana*, (ratio ſufficiens) dum una eademque ſemper incedat veſte, certo certius ſibi perſuadet.

§. V.

Secundo *vulgi auram atque fiduciam ſibi acquirunt, per morborum divinationem ex urina*; cum hi impoſtores fraudulenti & uromantes, non omnis generis morbos ſolum, ſive ab interna, ſive ab externa laeſione orti ſint, ſed etiam *ſexum* aliasque conditiones, & *an foemina ſit gravida*, ex ſola urinae inſpectione cognoſcere poſſe, perfricta fronte nugantur. Sed nullum in nullo mendacio periculum, teſte PLINIO, eſt gravius & perniciofius: Nam ex illa ſola, ne ullum quidem morbum, ſi icterum forte, aut ulcus renum vel veſicae excipias, Medicus etiam rationalis cognoscere valet, multo minus talis ignarus medicaſter. Licet vero quaedam corporis adfectiones *ex illius quantitate, colore conſiſtentia & contentis praedici poſſint*, v. gr. *ex urina intenſe rubicunda* adeſſe iudicas fortem cordis motum, celerem atque anxiam reſpirationem, calorem p. n. ſitim magnam, vertiginoſos capitis dolores, vigilias, totius corporis laſſitudinem, adpetitus defectum, ventrem inflatum & ſubtumidum, murmurantem, atque alvum obſtructam; & haec omnia ſymptomata ordine ita ſe excipere ſolent, ut vix unicum in ſtatu morboſo abſit vel abeſſe

pos-

poſſit. Sed quis certum morbum inde divinare vel concludere audet? cum dicta urina non ſolum variis in morbis, praeſertim febribus emittitur, ſed a multis aliis quoque cauſis, ſc. liquorum maxime ſpirituoſorum largo potu, medicamentis calidioribus, aromaticis, ſtimulantibus, atque aliis ſanguinem vehementius commoventibus, uti externe motu corporis fortiori, item parciori liquidorum aſſumtione, inprimis in calidioris temperamenti ſubiectis, in ſtatu alias ſano facile excitari poſſe, ſatis liquet. Et ſic ex reliquis quoque urinae φαινόμενις nil certi ſine curioſe explorato vel iam noto ſubiecti ſtatu, ratione temperamenti, aetatis, ſexus victus, vitaeque generis cognosci poteſt. Vrina enim cholerico propria, in phlegmaticis iam morbos adeſſe indicat, & vice verſa; item *urina limpida & tenuis* & ſanae fere ſimilis, in *febribus acutis* praeſertim *malignis*, ſi emittitur, ut *plurimum lethale eſt ſignum*, uti de his HIPPOCRATES dixit: *pulſus bonus urina bona & aeger moritur*. Quem ergo haecce ſecum perpendentem fugit, quid certi ex ſola urinae inſpectione cognoscere poſſint Medicaſtri? quicquid vero procaci ex illa divinant lingua, hoc non ex urina, ſed potius *ex adferentibus per callidas*, vel *per ſe ipſos, vel per alios expiſcari ſciunt quaeſtiones:* de quibus, pluribus videri poteſt, Thom. BRIAN in Lib. de fraudulenta multorum empiricorum urinae divinatione.

VI.

Tertio tales *Medicaſtri ſe habere panaceam & arco-*

cana, in quovis morbo efficacissima, & plebis & eruditorum vulgo persuadere tentant, & quidem vel coram vel per alios ebuccinatores, vel quoque per unam alteramve plagulam typis exscriptam, vel etiam novis publicis insertum, & tum nullus superest morbus, quantumvis inveteratus, quem non iis certe, facile, & brevi curare sciunt, & aliquot centum iis iam curarunt. Et hae iactationes stupidum non solum vulgus, sed & alios, qui tamen prudentioribus & eruditis adnumerari volunt, inescare sufficiunt: ut vero pharmaca fraudulenta eo maiorem nanciscantur fidem, tum illa in exteris regionibus ut *Asia & Africa, vel ab Aegyptis vel Indis & nescio, quibus aliis barbaris* & mulomedicis, multo auro emisse & comperisse scelesti nugantur impostores, & quoniam illa ex omnibus fere terrarum locis per multa, ut dicunt, itinera, eum in finem instituta, conquisita sunt, ideo non vulgarem, sed divinum fere praestare debent effectum.

§. VII.

Si igitur a quibusdam in auxilium vocantur, tum, ut magis, se aliis Medicis genuinis *esse doctiores & ob multa itinera & arcana in arte longe peritiores, confirment, omnes alios medicos*, omni data occasione & inprimis coram aegrotis *calumniari*, illorumque eruditionem nihili facere, imo tum hoc, tum aliud in illis vituperare haud erubescunt: & hic est *quartus*, quo utuntur, emergendi *modus*. Aegri vero hasce calumnias esse veras credentes, adhuc impostoris iudicium, de Medico priori vel eius praescriptis medica-

mentis sibi expetunt. Si igitur iunior adhuc est Medicus, illius responsio in promptu est: Iunior adhuc ille est Medicus, nullasque *exteras regiones*, atque *urbes celebres*, praeter unam vel alteram, & quidem vicinam, adhuc *vidit*, inde ergo satis constat, illum *perpauca* modo scire, & haud *multa* gaudere posse *experientia:* lingua vero nostra vernacula ita exprimit, Er wäre noch jung/ und hätte noch nicht viel gereiset/ oder wäre doch nicht sehr weit weg gewesen/ könte also nicht viel wissen/ oder gesehen und erfahren haben. Senior autem si est Medicus practicus, & magnum nominis splendorem, per felicem morborum curationem sibi apud omnes fere iam comparavit, tum sequens, ut nihilo minus ea videatur praestantior & doctior, exhibet iudicium; Plurimi illum doctissimum, & in arte longe peritum crederent virum; verum quibus ex indiciis hoc illi concluderent, se nescire, nec ullo modo videre posse, publice se profiteri necesse haberet: nam haecce ab illo praescripta medicamenta essent vulgaria, atque haud satis hic efficacia; & hoc in pluribus aliis se observasse casibus pronuntiat; ubi ille per sat longum tempus quidem eiusmodi medicamenta inertia, sed sine ullo fructu, adhibuisset, usque se ipse tandem, ab aegrotis efflagitatus, per sua arcana, ex parte quidem praetiosa, e contrario vero semper satis efficacia medicamenta, morbum infregisset; & iisdem hisce iam aliquot centum aegrotos a morbis (scilicet per mortem illatum) feliciter liberasset: Man hielte ihn zwar für einen gelehrten und erfahrnen Mann/

alleín

allein das könte er nicht finden; Denn dieses wären lauter gemeine Medicamente, die hier nichts ausrichten könten; und dieses hätte er schon bey vielen andern geschehen / welche selben lange Zeit / allein vergeblich gebrauchet; bis er denn endlich durch seine / zwar etwas kostbare / aber nie fehlschlagende Mittel geholffen / und wodurch er schon viele hundert andere curiret / nemlich: in die andere Welt. Sed hic merito quaerendum; qui? quales? quanti? verum pares, ne inferiores videantur, cum illis volvunt cogitationes, dicentes: nos poma natamus; & quis nos esse credet medicos, si ipsi quoque verbis speciem saltem illorum non praebemus?

§. VIII.

Sed quænam irreparrabilia, & reipublicæ & generi humano damna, isti inferunt medicastri, multis satisque tristibus exemplis copiose exposuit, Doctiss. EHRLICH in Dissert. *de damnis ex empiria medica oriundis.* Quis autem nebulonum pessimus, non faceret medicinam? cum omnibus in hominum corpus grassari est licitum, nullaque pœna præter ignominiam illos manet? verum quod ignominiæ genus, illos, ex mendaciis fraude ac ignominia compositos adficere, atque ab illo temerario ausu deterrere valet? ideo doctiss. IOH. LANGIVS in Epist. I. L. I. p. 6. talem scelerum licentiam, corruptumque Medicinæ statum sequentibus dolet verbis: *quis non ab imo pectore ingemisceret, medicinam, tam sa-*

sacrosanctum Dei donum, avaritia & ignorantia pseudomedicorum in hominum perniciem converti:

Quis pius bonusque æquo feret animo? certe *nullus; nisi præfecti aut magistratus* δωροφάγοι, *qui accepta turpi pecuniola, hæc Medicinæ monstra, & Iudæos perfidos, in perniciem subditorum alunt, fovent & tuentur: quibus solis fas est, subditorum marsupia foenore exhaurire: & corpora christianorum per medicamenta inexperta, vita, vel sanitate saltem spoliare:* & in Ep. II. p. 13. dicit: *Magistratus & proceres, accepta a iudæis & reliquis medicis* δοξοσόφοις *parva pecunia, libere in corpora subditorum grassari, eosque non tondere, sed deglubere permittant: hac magistratuum indulgentia effectum est, ut nulla sit lex, teste* PLINIO, *quæ capitalem medicorum inscitiam puniat: nullum exemplum vindictæ: solique medico hominem occidere, & iudæis in corporibus christianorum experimenta per mortes agere, impune liceat. Hac impunitate freti monachi, apostatæ, agyrtæ, ambubaiarum collegia, balatrones, anus incantatrices, denique carnifices, & qui paterna obligurierint bona, instar Aschinis Socratici ex arte Myrepsica alimoniam quærentes, in hanc sacram Medicinæ professionem, gregatim irrepserunt.* Paria quoque fere Cl. BOHNIVS in Lib. supro cit. p.m.38. cum Ah. FRITSCHIO proponit, dicens: *in culpa autem sunt magistratus, qui vagam ac publico perniciosam licentiam medicandi non coercent,* ἀπαιδεύτους, *ac veræ artis protinus ignaros impostores e republica expellunt: utrum vero hi ulcus tetigerint, nec ne, aliis diiudicandum relinquo.* Imperii quoque principes di-

diversi variis edictis, ac legibus provincialibus satis caverunt, ne quis Medicus ad praxin admitteretur, qui in Vniversitate quadam gradum ad munus licentiæ non sit adeptus. Rationes autem, quæ principem, de suorum subditorum salute vigilantem, movere sat valeant, legibus severe ut coerceat istam medicastrorum malitiam, doctiss. varioque eruditionis genere versatissimus, maximo nunc vero, & venerandi parentis, & orbis eruditi, dolore ac detrimento superiori anno præmature nimis e vivis ereptus, DOM. ELIAS FRID. HEISTERVS, amicus atque Præceptor meus, dum viveret, integerrimus, in Differt. sua inaugur. de *Principum curæ circa sanitatem subditorum* inscripta, pro more suo, h. e. perspicue ac solide pag. 45. & cum primis p. 55. indicavit; ad quæ ergo ibi legenda, brevitati studens B. L. scire illa cupientem, remitto.

§. VIIII.

Si igitur de hodiernis medicastris dicta conferantur cum illis, quae Sect. I. de veterum empiricis proposui, tum sponte *apparebit, quae sit inter hos & illos convenientia, quae differentia*, & quo iure illi hodie, empirici, cum ἀπειρικόι, sive omnis experientiae verae ac solidae expertes, potius essent dicendi, appellentur. Sed haec omnia denique, quae de Medicastris viris dixi, etiam de illis *stolidis, sciolis atque loquacibus*, ut doctiss. SYDENHAMIVS p. m. 188. dicit, *mulierculis*, in singulis ferme aedibus reperi-

undis, quae in hominum perniciem, quam non didicerunt, artem, exercent, intellectum velim est quod hic moneam: cum hae nonnunquam per teneram nimis, & intempestivam commiserationem, officiose ineptientes, aliquid commendent aut porrigant, quod corporis statum pravum longe saepius facit deteriorem, & magnum infert damnum, quod haud facile emendare semper licet, & interdum satis funestum evadit.

SECTIO III.

PROPONENS QUAESTIONEM, AN EMPIRICVS CVM CERTITVDINE MORBVM QVENDAM CVRARE POSSIT?

§. I.

Huius autem quæstionis conditionem unusquisque eo melius ut perspicere possit, optimum esse duco, si prius in quo morbi curatio consistat, & quid ad illam requiratur, exponam: quo tum sponte se dabit, utrum illa sit affirmanda, an potius neganda. Quamdiu igitur omnes partes, nostrum corpus constituentes, & solidæ & fluidæ in amicabili consensu, & mutua proportione sunt constitutae, ut suas expedite, ad quas a summo Architecto sunt conditae, praestare possint functiones, tamdiu homo esse sanus dicitur; e contrario autem, quam primum illarum consensus, & mutua proportio labascit, & una vel plures partes a suis deflectere incipiunt functionibus, tum in toto statim corpore contingit mutatio,

quam

quam morbi nomine appellamus. Morbus ergo consistit in aberratione vel recessu unius vel plurium partium a suis functionibus, vel quod idem, in læsione actionum, homini sano alias competentium. Illud vero quod talem functionum mutationem vel læsionem inducit, vel impedit, quo minus partes suas functiones naturales efficere, posfint, caufam morbi dicimus. Ex quibus ergo sponte patere opinor, illum qui morbum curare intendit, caufam eius auferre debere, vel illud removere, quod naturales partium prohibet functiones: nam *sublata causa, ut vulgo dici solet, tollitur effectus.* Morborum igitur curatio consistit in illius, functiones partium impedientis, vel lædentis, ablatione. Quem ergo, haecce æqua iudicii lance ponderantem fugit, illum, qui morbos curare suscipit, illos prius quales sint, & quænam earum caussæ, cognoscere debere? ignoti enim, uti nulla cupido, ita ignoti morbi quoque nulla iudicatio, nulla, nisi forte fortuita & temeraria, est curatio. Sine verae autem Theoriae Medicae, vel Anatomiae, Physiologiae, Pathologiae & Semiologiæ scientia, nulla cum detur, vera aut exacta morborum cognitio, tum ex ipsius rei natura fluit, illum qui morbos cognoscere velit, dictarum Theoriæ Medicæ partium dogmata, penitus callere debere: etenim qui vult finem, etiam velle debet media, quorum ope illum assequi liceat. Quis enim morbos, quatenus a mutata & p. n. partium constitutione dependent, cognoscere valet, nisi omnium partium functiones physicas, quales sc. fiant

fiant in ſtatu ſano, & conditiones ad tales requiſitas, prius habeat probe cognitas? ut ex illarum comparatione, cum præſentibus functionibus læſis, defectum, & a qua parte morbus ſuam trahat originem, iudicare & perſpicere posſit. Quis vero phyſicam ſive naturalem partium functionem recte intelligere aptus eſt, qui illarum ſitum ſtructuram, cum aliis partibus connexionem, uſum & harmoniam, quæ anatomia docet, ignorat? & quis eſt, qui ad perfectam morborum cognitionem pervenire posſit, qui nunquam operam & diligentiam in ſtudio pathologico addiſcendo collocavit? quod unice tamen morbos, illorumque cauſas, differentias atque effectus generatim docet & explicat: & nullus certe morbum integrum, ſine cauſæ recta cognitione, pernoſcere poteſt, *cum ſcire ſit rem per cauſas cognoſcere.* Quis porro negare audebit, illam Medicinæ partem, quam *Semiologiam* vocant, præ reliquis omnibus, morbos curaturo, maxime eſſe neceſſariam? quæ morbum eiusque indolem in ſingulo individuo, vel quovis ſubiecto, oſtendit, & *ſigna, pathognomonica dicta*, differentiasque, quibus hunc vel illum morbum ab alio, quocum ratione ſymptomatum ſimilitudinis, & invaſionis modi, maximam alit convenientiam, eſſe diſtinctum iudicas, docet ac tradit? & quæ de ſtatu morbi, & præſenti & futuro vel eventu, ex functionum vitalium, animalium, & naturalium, vel maiori vel minori a ſtatu ſano, receſſu vel deſtructione, ferre iudicium, medentem inſtruit. Nullus enim niſi caſu & fortui-

tuito curabit morbum, cuius neque naturam & indolem, neque caufas illarumque origines fatis prius cognovit. Nam quis fuam parti cuidam reftituere pollet functionem, fi quae illa fit, & quibus illa fiat mediis, & a quibus rebus vel cauffis laedatur, ignorat? & hoc Empiricis olim iam oppofuerunt Dogmatici, uti CELSVS a) enarrat; *neminem poffe fcire quomodo morbos curare conveniat, qui, unde ii fint, ignoret:* eum vero recte curaturum, *quem prima caufæ origo non fefellerit.* Qui ergo bene cognofcit & diftinguit, ille bene & feliciter curat; nifi vel ex ofcitantia vel negligentia curam negligere velit, aut aeger ipfe curam admittere aut debita ratione fe gerere nolit: uti hoc Doctiff. BOERHAAVIVS in fuis Inftitut. Med. §. 880. feq. adfirmat: *Semiologiae five fignorum tanta eft vis ad bene cognofcendum & curandum, ut vix aliud fit, quod plus emolumenti in praxi afferat:* unde etiam fumma nocumenta, his neglectis, oriuntur.

§. II.

Felix itaque & certa morborum *curatio* confiftit, in eius caufae, bene prius cognitae, correctione vel ablatione: medicamenta ergo propinanda deftruere vel removere debent caufam, morbum producentem. Qualia autem fint adhibenda, ipfa morbi caufa, eiusque indoles prudenti Medico indicat unice que determinat. Cum morbus igitur a multis & va-

a) in Præfat. Lib. I.

variis excitari poſſit cauſis, & maxime inter ſe diverſis, pro varia ſcil. requiſitorum ad functiones partium læſione; quis inde non videt, etiam Medicamenta & remedia debere eſſe varia & diverſa? prout cauſa morbi hoc requirat. Quomodo autem Medicamenta indicata pro diverſa temperamenti, aetatis, ſexus, habitus corporis, vitae generis, cauſſarum, victus, conſuetudinis, idioſyncraſiae, aëris, anni temporis, excretionum & virium adhuc præſentium ratione; nec non qua conditione, doſi, tempore, ordine, quocum regimine & quibus cautelis ſint applicanda, hoc docent, & Methodus medendi in genere; & regulae therapeuticae ſpeciales; inprimis autem Medici iudicium & ratione & experientia, ſi non propria, tamen aliorum, probe ſubactum. Haec autem iam ſupponunt Medicamentorum, ratione materiei, praeparationis, & virium cognitionem: vel Materiae Medicae, Pharmaciae, & Chymiae ſcientiam: quorum omnium autem empirici noſtri hodierni vel prorſus ſunt ignari, vel ſaltem non ſatis, ut par eſt, ea intelligunt.

§. III.

Quisquis igitur eſt, ſi iam iam memorata, probe perpendit, & cum Sectione huius Diſſert. II. confert, qui non videat, quanto cum periculo & quanta cum incertitudine empirici hodierni morbum curent? & an arcanis, quæ ſemper crepant, & de quibus tam impudenter gloriantur, licet ex auro vel quibusvis aliis pretioſis multo atque anxio labo-

re


re ac ſudore eſſent confecta, unico tantum morbo certe, & ſemper, omnibus in ſubiectis, & omni poſthabita cauſarum & circumſtantiarum conſideratione, mederi valeant? quod impudentes illi medicaſtri, & aegrorum tam divitum quam pauperum crumenae expilatores, nefarie, & magno verborum ſtrepitu de ſuis arcanis, & medicamentis fraudulenter pretioſis, ſemper iactitare ſolent, & inde ſatis magno pretio, etſi ne unicum quidem auri vel alius rei pretioſae granum illa fraudulenta, facile parabilia, & haud raro ſatis foetida, inegrediatur Medicamenta, & divitibus & rerum neceſſariarum inopibus vendunt; non quaerentes aegrotantium ſanitatem, ſed eorum pecuniam. Verum nihil magis Medici ignorantiam indicat, quam medicamentorum arcanorum & praetioſorum, quae omnibus mederi debent morbis, iactatio, & crebra illorum mutatio ; uti hoc venerandus ille ſenex HOFFMANNVS in ſuis Medicinæ fundamentis ſeq. adfirmat verbis : *qui panaceas & medicinas univerſales crepant, plerumque indocti, vel deceptores ſunt.* Nihilo autem minus non vulgus ſolum, ſed eruditorum etiam plurimi hanc fovent opinionem, certa dari Medicamenta vel arcana, quae abſolutam huic vel illi morbo, ſine conditione, medendi haberent efficaciam: & hoc eſt, cur illis impudentibus facile fidem addicant, imo hiſce permoti, in ſuis experimenta faciendi corporibus, illis concedunt poteſtatem.

§. IV.

Verum *nullum esse in rerum natura, nec dari posse medicamentum*, quam artificiose sit concinnatum, anxieque elaboratum, imo optimum, *quod in omnibus subiectis sine discrimine, unum eundemq; praestet effectum*, illi mecum facile consentient, si modo considerant, inter viginti imo centum aegros, uno morbo laborantes, vix ac ne vix quidem tres vel quatuor reperiri, in quibus eaedem morbi causae, eadem symptomata, eaedemque semper adsint circumstantiae; quae tamen in omnibus eaedem, & perfecte fere similes adesse deberent, si idem semper pari modo sequi deberet effectus: etenim Medicamenta non agere ratione activitatis, sed receptivitatis, inter omnes constat Medicos rationales: e. gr. si idem medicamentum, cuiuscunque virtutis sit, propinas & cholerico & phlegmatico sub iisdem, quoad sensum, circumstantiis, tum in utroque tamen satis diversum deprehendes effectum, & quidem in cholerico celeriorem atque evidentiorem; in phlegmatico autem debiliorem & tardiorem: qui tamen, si medicamentum secundum suam activitatem ageret, vel absolutam possideret efficaciam, in ambobus par & idem esse deberet, & nulla adesset ratio, cur in alio alius sequeretur effectus. *Ergo non dari Medicamenta, quae sine discrimine omnibus in subiectis, certo cuidam morbo mederi queant*, satis inde liquet. *Prudens* autem *morbi* cuiusvis *tractatio*, *verum ac summum est specificum & arcanum*; de qua pluribus legi meretur

Dis-

Dissertatio illa, *de prudenti morborum tractatione*, sub decanatu Illustr. Dom. PRAESIDIS quondam hic habita. Et haecce, ne dissertationis limites transgrediar, pro tempore, de diversitate Medicinae sectae empiricae veteris atque hodiernae diversitate dixisse sufficiant. Sed cum permulta, eaque gravissima mihi adhuc de perniciosa reipublicae Medicastrorum conditione, & arcanorum vanitate, supersunt argumenta, atque tristia ab illis facta experimenta, haud parum ante exposita, illustrantia atque adfirmantia, quae ex parte ab aliis viris fide dignis mihi relata; ex parte etiam a me ipso sunt observata, quae omnia tamen ob nimiam prolixitatem, in praesenti certas ob causas mihi evitandam, hic omitto. Si autem Deus T. O. M., cui pro viribus clementer hunc usque in diem mihi largitis, gratias ago, quas possum, maximas, vitam vires atque sanitatem porro quoque benigniter mihi concedet, tum me haec omnia, & alia, quae in hisce dictis fortasse desiderari adhuc possent, prolixius atque uberius deducta, intra anni spatium typis exscribenda, prelo subiicere publice promitto: sicque huic imponam labori finem.



PRAENOBILI DOCTISSIMOQVE CANDIDATO

PRAESES.

Quamvis quidem multi iam multa de empiricis Medicis eorumque in Republica maximis damnis scripserint, tamen tantum abest, ut tuum novum studium in hoc argumento repetendo, atque uberius exponendo, noxasque in rempublicam inde redundantes demonstrando damnem, quin potius, cum illi, qui perniciosissimae huic pesti mederi debeant, illud vero non faciant, nova eaque prudenti & efficaci admonitione oculi forte eis recte aperiantur, & ex damno, quod civibus inferunt, ad genus hoc hominum pessimorum e Republica exterminandum denuo excitentur, comprobem & laude dignum esse censeam, quia quod Reipublicae valde salutare, dici satis non potest. Duo fere nunc praeteriere secula, cum IOH. LANGIVS, *Medicus profecto, si quis alius, & artis usu & facundia clarus ac gravis, cum variis in epistolis eius, tum adhuc magis in Symposio suo, iam publice indicaverit, quod, licet a Magnatibus egregia contra pessimum hocce Medicastrorum genus mandata promulgata sint, tamen a Magistratibus inferioribus plerorumque locorum hac in re graviter peccetur: dum quidam vel ex imprudentia & negligentia, vel ex metu, dum odium horum hominum evitare student, vel ex turpis lucri cupiditate, iis eorumque peccatis vel indulgent, vel eos omnino modo clam, modo aperte, fovent ac tuentur; paucissimi vero eorum magistratuum sunt, qui gravi huic Reipublicae malo se-*

ſerio mederi cupiant. Tu itaque, Clariſſime Domine Canditate, quam rectiſſime facis, ut hanc rem, quae adeo, prob dolor! vulgo negligitur, Magiſtratibus, & qui iuſtitiam adminiſtrare debent, rurſus in animum revocare, & gravibus argumentis denuo inculcare, earumque artes & fraudes, quibus ſubditos Principum deludunt, ob oculos ponere ſtudes, ut tandem forte aliquando maiori cura & ſtudio, huic Reipublicae peſti ſe opponant, eamque tandem aliquando extinguant. Dum vero in hac, proprio marte elaborata, diſſertatione ſimul quam egregie demonſtras, quid ad verum ac genuinum Medicum rationalem requiratur, & quomodo ac quantopere hi a rudibus illis empiricis atque impoſtoribus, qui nobiliſſimam atque difficillimam artem medicam nunquam didicerunt, differant, etiam ſemper, quod teſtari poſſum, dum hic apud nos per quadriennium ſtudio Medico diligenter incubuiſti, eo omnibus viribus anniſus es, ut quam minime aliquando turpem aliquem empiricum ageres, ſed potius omnes Medicinae partes & theoreticas & practicas quam diligentiſſime apud nos audiviſti, atque dies noctesque ita excoluiſti, ut nullam, quae ad verum Medicum formandum neceſſariae ſunt, negligere vel vilipendere volueris; ſed in omnibus potius, ut par eſt, excellere allaboraveris, probe obſervans veriſſimum illud atque praeſtantiſſimum CELSI *dictum,* quod ſcilicet omnes Medicinae partes ita inter ſe ſint nexae, ut a ſe invicem recte ſeparari nequeant; *hoc eſt, ut nulla carere ſine noxa queamus, dum ſemper altera alteri ſuccurrere, altera alteram iuuare debet: atque ſic omnibus animum tuum rite non modo imbuere, ſed ſatis potius ad*

fe-

feliciter aliquando Medicinam faciendam quam plenissime instruere voluisti. Imo his, postquam haec per quatuor annos laudabiliter hic fecisti, nondum animum tuum discendi cupidum exsatiasti, verum ut, cumprimis in re anatomica, chirurgica & practica, adhuc maiores faceres progressus, atque uberius in arte medica te perficeres, Berolinum abiisti, atque res has summa diligentia per plures menses, ibidem quoque ita prosecutus es, ut ad praxin medicam faciendam, quam postea etiam in patria per aliquod tempus cum laude & applausu fecisti, legitimo modo accedere, & honores ac privilegia Doctorum rite suscipere possis. Vt vero hoc more maiorum legitime fieret, ad nos nuper rediisti, & prius a collegio nostro, ut ad consueta examina Medicinae candidatorum admittereris, modeste petiisti. In his vero Te ita deprehendimus, ut sicuti rationalem & prudentem Medicum decet, nunc Medicinam rite, h. e. salva conscientia facere possis. Gratulor Tibi de tam feliciter absolutis studiis academicis, gratulor illi urbi & regioni, quae Te Medicum suum habebit: dum non empiricum aut temerarium, sed, quod praefiscine dixerim, Medicum doctum, prudentem, modestum, diligentem obtinebunt, cui sanitatem, quam Principes iam concrediderunt, tuto etiam committere queant cives: nam certa spes me alit, quod nihil temere nihil timide *sed omnia cum prudentia necessaria semper sis acturus.*

Vale itaque & rem tuam cum Deo age feliciter.

Quae-

Quaenam ſit fallax methodus, quae certa medendi
Arte in apollinea, ſuavis Amice, doces.
Noſſe modum, eſt aliquid, doctrinae aſſerta adhibendi;
Selectum ſapiens exhibuiſſe ſtudet.
Omnino haec praeſens TVA diſſertatio docta
Monſtrat, quodque modos examinare ſcias.
Doctrinam ergo TIBI, medici & Doctoris honores
Grator promeritos, & bona cuncta precor!

Hisce paucis Praenobiliſſimo ac DoctiſſimoDomino Doctorando, Amico ſuo ſuaviſſimo de inſigni eruditionis ſpecimine ſincero ex animo gratulari, ſimulque a Deo felicis Medici fortunam apprecari voluit

J. C. ST. S.C.B.

Is demum excellit, longo qui exercitus uſu
Ad fixas leges quaelibet acta refert.
In TE ars conſpirant atque experientia rerum:
Hinc Medicos inter nobile Nomen habes.

Hisce applaudere voluit honoribus benemeritis Doctiſſimi Domini Doctorandi cum voto perpetuae proſperitatis

eius

deditiſſimus

LVDOV. JVL. VRB. FRANCKENFELD
Acad. Jul. Quaeſtor.

Da liegt der After-Aerzte Heer
Durch unſers Kayſers Hand beſtritten.
Seht dort den Ort / wo ihre Ehr /
Die falſche Ehre / Noht gelitten:

Es ist Minervens Heiligthum /
Wo unser Sieger muhtig kämpfte /
Wo Er mit allgemeinem Ruhm
Des frechen Feindes Hochmuht dämpfte.
Hygea sahe diesen Sohn
Mit innigen Vergnügen streiten;
Drum wolte sie Ihm selbst den Lohn
Des Sieges um die Schläfe breiten.

Seht hier das Schwert und dessen Kraft /
Womit Er seinen Feind gefället;
Die Schrift und deren Eigenschaft /
Die uns sein Fleiß vor Augen stellet:
Durchgeht und lest sie mit Bedacht /
So werdet ihr ganz deutlich wissen /
Der angemaaßten Aerzte Macht
Sey dadurch gänzlich umgerissen.

Glück zu denn / Theurer Freund / Glück zu /
Glück zu dem zweyfach schönem Siege:
Folgt sonsten süsser Fried und Ruh
Nach einem wol geführten Kriege /
So müssest Du / mein Freund / auch Dich
Stets dieses Deines Sieges freuen /
Und lauter Glück und Segen sich
Dem neuen Doctor-Hute weyen.

Dieses setzte aus verpflichtestem Gemühte
J. P. WOEHNER Th. Candid.
Opponens.

